NATALEM AUSPICATISSIMUM

REGIS AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI

FRIDERICI GUILELMI III.

DIE III. AUGUSTI

ANNI MDCCCXXVIII

A REGIA LITT. UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

PIE ET SOLEMNITER CELEBRANDUM

RECTORIS AC SENATUS NOMINE

INDICIT

DR. CHRISTIANUS FRIDERICUS HARLESS

POT. REG. A CONSIL. AUL. INTIMIS, MED. PROF. P. O. etc. ORDINIS MEDICORUM H. A. DECANUS.

Praemittitur Medicorum veterum Asclepiades dictorum lustratio historica et critica.

BONNAE

TYPIS THORMANNIANIS.

71505



Medicorum veterum Asclepiades dictorum lustratio historica.

Vix nominis sive cognominis alicuius frequentior fuit usus maiorve celebritas et gratia inter Graecos Romanosque medicos, eo maxime tempore, quo floruere ex Alexandrinae materno sinu potissimum enatae scholae medicorum Dogmaticorum, Empiricorum, Pneumaticorum, et Methodicorum, quam *Asclepiadis* illius, nisi forte ab Apolloniorum medicorum multitudine fere pari *) discesseris. Illius vero nominis duplicem in antiquitate graeca fuisse significationem et vere duplex genus, vetustius alterum, alterum posterius, non erit, quod historiae medicae gnaros pluribus moneam. Etenim primum exstiterunt inde ab anno mundi (uti dici solet) 2700—2750 *Asclepiadae* illi sive *Aesculapii sacerdotes*, per plus quam sexcentorum annorum spatium nisi longius. Referente *I. H. Schulz*, in sua historia medicinae, opere adhucdum magni faciendo, Period. I. Sect. II. cap. 4. inde ab Aesculapii cultus divini initio, circiter annos L ante urbis Troiae excidium, usque ad illius finem stirpisque originariae Asclepiadum extinctionem saeculo post Hippocratis mortem putandam anni DCCCXC impleti sunt: bene tamen ad haec monet *Schulzius*, tanto nisi tempore, ad minimum tamen per quingentos annos Aesculapii religionem in Asclepiadarum satis quieta possessione mansisse, eoque toto temp. spatio medicum, scil. alium, ac Asclepiada, qui suo nomine artem exercuerit, haud facile apud Graecos inveniri. Hi quidem Asclepiadae primum et per aliquot saecula revera ex ipsius Aesculapii stirpe fuisse atque familiam communis prosapiae arctissimisque

*) De quibus Apolloniis medicis vid. commentationem meam: de Archigene et de Apolloniis Medicis, Erlangae 1816.

necessitudinis vinculis iunctam formavisse, subinde tamen alios quoque nominis admodum honorifici sacerdotiique socios adoptionis lege recepisse perhibentur, annuentibus id non solum quibusdam veteribus auctoribus, *Pausania*, *Galeno*, et *Plinio* maj., sed clarius idem eruentibus *Thoma Reinesio* *) *Dan. Clerico* **) atque *I. H. Schulzio*, et his adsentientibus *I. E. I. Walchio* ***), et nuperius cel. *Sprengelio* †). Atque etsi communem omnes hi sacerdotes, quotquot in numerosis Aesculapii, passimque Hygiaeae et Panaceae, templis per Peloponnesum, Helladem eiusque Insulas, Asiam minorem, et Siciliam dispersis sacra faciebant et mysteria admodum sancta et occulta habita celebrabant, originem primis saltem ab institutione cultus Aesculapii divini saeculis deducerent, mox tamen, postquam prima et vetustissima templa, quae divo Medicinae Statori in civitatibus Epidauri et Titanes erecta erant, non amplius suffecerant, iam secundo post conditum Epidauro templum saeculo quatuor principales huius sacerdotii gentisque ipsius Asclepiadum eique adscriptorum sedes et quasi tribus, unaque totidem scholae clinicae deinceps institutae sunt, quasi tot coenobiorum ordines, singulis plures rursus coetus filiales comprehendentibus; nimirum tum in Insula *Rhodus*, tum in Insula *Cos*, tum in satis vicina huic peninsula Carensi *Cnidos*, tum in magna Graecia (Italica Asclepiadum schola ab *Herodoto* et a *Galeno* dicta, et ex illius relatione in urbe Crotone condita), nisi etiam, ut videtur omnino, per alias quasdam Siciliae urbes disseminata. Horum *prima* reliquis prius extincta est; secunda et tertia diutissime perstans, summam famam et auctoritatem obtinuit, idque eo magis,

---

*) Vid. summi olim huius Philologi medici, cui vix alius superior fuit in antiquitatis medicae cognitione, Syntagma inscriptionum, nec non Epistolas ad Rupertum etc. XXXXVI.

**) Histoire de la Médec., edit. II, 1723. lib. II. cap. 3., cfr. lib. III. c. 9, et ibid. quae ex epistola doctiss. Abbat. *Garofalo* in Giorn. della letter. di Roma T. II. adducuntur.

***) Eius Antiquitat. Medic. select. (1772), cap. V. Historiae Asclepiadarum specimen.

†) Eius pragmat. Gesch. d. Arzneik., edit. III. T. 1.

quum horum templorum Coi et Cnidii sacerdotes originem suam directius a Podalirio, Aesculapii filio, repeterent, et stirpis ordinisque puritatem anxia cura servare studerent. Palmam inter utramque hoc ipso sibi praeripuit schola Coa, quippe cuius sacerdotes adhuc tempore Hippocratis, qui ipse Cous Asclepiadeus fuit, prosapiae stemma continua et haud interrupta successione ab ipso Aesculapio ducere gaudebant, etsi hoc ipso tempore plures inter Coos Asclepiades fuisse a genuina Asclepiadum stirpe prorsus alienos, nulli dubitemus*). Ultimo dicta schola (Italica) citius multo ab originaria institutione et religione defecisse, et cum philosophorum scholis (Agrigentinis et Crotoniatibus etc.) commixta esse videtur. His seriore demum tempore, quo iam Rhodensis schola extincta erat, accessere quinto et brevi post sexto loco duo novissima Aesculapii templa Asclepiadumque scholae, altera aetate prior in urbe *Pergamo*, altera huius filia aliquanto iunior, in urbe *Smyrna*, utraque in Asia min. insulisque multum laudata, et medicorum quoque clariorum utraque foecunda mater. (In Smyrnensi uti in Pergameno templo Ασκληπιος Ζευς colebatur). Cuius utriusque fama atque auctoritas, non solum in rebus sacris, sed praesertim in medicis, *Galeno* ipso teste, diutius floruit, postquam Cnidiae atque Coae scholae nihil nisi nomen superesset. Nullum tamen dubium est, huius templi Asclep. Pergameni sacerdotes, medicinam clinicam reliquorum in modum empiricum facientes, omnium paucissimo numero ex ipsa Asclepii sobole fuisse, sed plurimam partem huic tantum solemni receptione adscriptos fuisse. Denique *Romae* quoque templum Aesc. erectum.

Ipsius autem familiae Asclepiadarum, quotquot fuere eius rami atque ad templa coetus speciales, iuxta Aesculapii cultam, et ex huius

---

*) De his Asclepiadis *Cois* tantummodo accipiendum est, quod apud scriptores aliquot legimus, eos *Nebrides* quoque vocatos fuisse, a *Nebro* quodam inprimis celebri Asclepiada Coo, Hippocratis atavo (vid. *Le Clerc* l. m. p. 78.). Neque putem, Cel. *Sprengelium* (l. m. p. 138), quumis huius Nebridum nominis mentionem tamquam synonymi Asclepiadum faceret, de Asclepiadis in universum ita dicere voluisse.

ipsius ratione legeque, peculiare officium et vero praerogativam fuisse, medicinam clinicam faciendi, atque tum quidem morborum signa et phaenomena, tum prognostica, tum curationes et medicamenta, quae opem tulerint, nec ne, historiasque succinctas morborum ita ab ipsis curatorum pluribus tabulis ad templa suspensis consignandi, res est notissima neminemque fugiens, qui fontes historiae rerum graecarum tam sacrarum quam profanarum, medicarumque in specie, atque recentiorum historiae medicae scriptorum hac de re exposita comparaverit. De varia ratione methodoque, sicut de vario mysteriorum genere varisque superstitionis fraudulentae auxiliis, nec non de speciosa scientiae naturae et morborum, praesertim prognosticae, ostentatione, in qua Asclepiadae illi pariter ac in gratiae gloriolaeque sectatione et simul in lucri venatione, egregie excelluere, de praestigiis divinae adflationis denique ac miraculosae illuminationis per somnia, nomine *incubationum* *)

*) De *incubationibus* hisce, quarum primordia, sicut *ex parte* etiam ipsius Aesculapii cultus divini clinicesque cum hoc ipso coniungendae origines, ex Aegypto, atque ex commixtione quadam cultus Aesculapii vere et originarie Graeci cum vetustiore cultu Serapidis Isidisque petenda esse, inter plurimos tam veteres quam recentiores palaeologiae graecae scriptores convenit, ex *Pausaniae, Artemidori, Aristidis,* et *Philostrati* relationibus scriptores recentioris aevi supra laudati abunde exposuere: quibuscum conferre inprimis iuvabit *Cl. Kinderling* ingeniosum scriptum: Der Somnambulismus unserer Zeit mit der Incubation verglichen. Dresd. 1788. Atque fuisse omnino magnam miramque analogiam inter illa incubationis et divinationis in somno (*clairvoyance* nostratum) caerimonias et inter artificialis biomagnetismi et exstaseos divinatoriae magneticorum somniantium excitationem, ex Mesmerianae scholae praeceptis faciendam, comparanti cuique sponte obveniet.

Quum haec Asclepiadum in templis munera atque simul artificia fraudulenta in aegrotis curandis ex ipsius *Aristophanis* Pluto prae reliquis succincte clareque *Schulzius* (Histor. Med. p. 140) descripserit, placebit forte lectoribus, haec ex ipso hic loci legere:

„Primo lustrari lavarique (et ungi) debebant ἱκεται, i. e. Aesculapii consulendi causa recens adventantes; deinde sacrificium exhibere (gallum Aesculapii, nec tamen hunc solum, sed aureos quoque nummos et varia dona sic dicta ex voto argentea, aurea, (uti hodie), in templis suspensa, *Hs.*), quod arae imponebatur, tum in templo decumbere, et somnum capere. Ubi iam quiescebant, sacerdotum ali-

istarum ad oracula Dei enuncianda adeo celebratis maximique habitis in templis Coo et Cnidio, nec non Smyrnaeo et Pergameno, conferri inprimis merentur ex veteribus auctoribus, praeter *Aristophanis Plutum*, et *Luciani* dialogum, Alexander sive Pseudomantis inscriptum (utrumque satyra praestigia illa fraudesque Asclepiadum perstringentem), *Pausanias* (de templis Aesculapii, sacrisque et festis in eius cultum celebratis omnium uberrime agens), *Philostratus* in vita Apollonii, *Aristides*, qui ipse vir impense superstitiosus et fere mente alienatus Asclepiadum istis praestigiis absurdisque curationibus sacris misere vexare corpus suum passus est, e nuperioribus *Hermannus Conring*, in exercit. de incubatione in fanis deorum, medicinae olim causa facta, 1658., *J. A. Sebiz*, in diss. de Aesculapio, 1661., *Henr. Meibomius* in diss. de incubatione in fanis deorum (quam, nondum mihi visam, ex Schulzii laudatione allego), *Thom. Reinesius*, vir ille immense doctus, in Epist. ad Rupertum, *Dan. Clericus*, l. m., Tabulam quoque genealog. Asclepiadum addens, *J. H. Schulze*, (inprimis docte) op. cit. Period. I. Sect. II., *C. Fr. Hundertmark* in comment. de incrementis art. med. per exposition. aegrotorum, 1749., *J. G. Günz*, in diss. de δαδουχιαις in sacris Aesculapii, novissimeque V. V. Cel. *Sprengel* et *J. Hecker* in laudatiss. suis historiae medicae enarrationibus.

His ipsis autem sacerdotibus Asclepiadis lapsu dimidii millenarii partim una cum Asclepii cultu sensim exstinctis (ita post Rhodenses demum Coi et Cnidii, siquidem inter hos medicinae in templis exercitium et sacrorum illorum mysteriorum celebratio non ita multum

---

quis, *Aesculapii habitu indutus*, comitante *filiarum* Aescul. caterva, aegrotum visitabat, eaque vel administrabat (medicamenta etc.) vel edisserebat, quae necessaria putabantur. Et quum nefas aut periculosum haberetur, si quis etiam vigilaret, somnum non simulare, de eo, quod vere viderat vel audiverat quisque, non aliter quid perhibere licebat, quam de re per somnum visa et oblata. — Quae quisque didicerat, sibi sanitatis causa peragenda esse, si opem attulissent, ea, qui ditiores erant, columnis inscribenda curabant, tenuioris fortunae homines tabulis, quae in templo suspendebantur etc. «

post Hippocratis obitum modo non prorsus cessavisse, atque artis asclepiae liberius exercitium extra templum aliis quibusvis hanc artem empirice arripientibus relictum fuisse videtur, unde (nimis stricte licet) *Diocles* et *Praxagoras*, uterque medicus Hippocraticus inprimis insignis brevi post Hippocratem florens, a Suida dicuntur Asclepiadarum ultimi), partim tantum ab antiqua et strictiore religionis cultusve lege simulque a superstitiosa illa empiria clinica deficientibus, et ad philosophiae atque physiologiae studium progredientibus, nomine tantum Asclepiadum retento muneris et auctoritas saeculis proximis post Hippocratem, Dioclem, Erasistratum, et Chrysippum Cnidium, i. e. versus tempora, quo iam laete floruere scholae Dogmaticorum, Empiricorum, Methodicorum, et Pneumaticorum, magis magisque abolevit. Et quamvis usque ad *Galeni* et *Pausaniae* tempora et ultra aliquis Aesculapii cultus in templis Epidaurio, Pergameno, Smyrnaeo, Romanoque superesset, sacerdotibus ad haec sacra constitutis, medicinae tamen exercendae praerogativa tantum abfuit, quin adhuc apud hos esset, ut iam medicis profanis tantummodo uti maluerint Graeci Romanique, iis scilicet, qui in una alterave illarum scholarum, sive Athenis, sive Alexandriae (reliquorum longe celebratissima et florentissima), sive Romae, aut Syracusae et Pergamo formati fuerint. Etenim scimus, iam diu ante Polybum, Dioclem, Erasistratum, scholamque Alexandrinam conditam plures fuisse in Graecia Joniaque medicos et chirurgos arte eminentes et praxeos late extensae fama claros, quales e. gr. laudantur *Damocedes* Crotoniates, Hippocrate ipso plus quam decem lustra senior, *Epicharmus, Eudoxus, Diagoras*, magnusque ille *Empedocles* Agrigentinus, quos, etsi iuventute sua ab Asclepiadeis Cnidiis praesertim medicinae empiricae rudimentis imbutos, maturiore tamen aetate ab illa schola descivisse, et aut ad philosophorum s. physiologorum illo aevo excellentium castra transiisse, aut artem medicam suopte prorsus ingenio coluisse cognitum est. Ipsiusque novae aerae medicae conditoris *Hippocratis*, sicuti filiorum Thessali et Draconis, atque generis excellentis *Polybi*, etsi e Coo Asclepiadum coetu oriundorum, et observandi curandique methodum aliqualem ab

ipso accipientium, physiologiam atque medicinam illam, qualem ex Hippocratis libris tam genuinis quam spuriis (partim a Polybo, atque a nepotibus discipulisve Hippocratis exaratis) depromere licet, multis titulis a Coa disciplina discessisse, et deinceps e philosophorum (Democriti, Heracliti, Empedoclis, ipsiusque Platonis, et Zenonis ac Chrysippi quoque) scholis diversas doctrinas novis inventis anatomico-physiologicis nec non pathologico-therapeuticis immixtas fuisse, inter omnes historiae medicae gnaros compertum est. Neque tamen defuere hoc quoque tempore, proximoque post Hippocratem saeculo, Asclepiadae, praesertim *Cnidienses*, celebriores et in medicina observante atque clinica laude insigniore conspicui, quos inter *Euryphon*, *Ctesias*, *Eudemus*, *Plistonicus*, *Dieuches*, et *Chrysippus* Cnidius inprimis nitent, qui nomini stirpis suae novam auctoritatem novamque gratiam reddere studerent.

Sed quamvis ceciderat, novo Hippocraticae atque ex hac Alexandrinarum scholarum sidere lucente, Asclepiadum honor et nimis empiricae ac praestigiorum plenae ipsorum medicinae auctoritas inter populos, *nominis* tamen adhuc remansit haud exigua existimatio atque gratia. Hinc itaque factum est, ut etiam post stirpis Asclepiadarum declinationem et extinctionem haud pauci medici tum Graeci tum Romani *Asclepiadis* cognomen sibi adsciscerent, aut ipso tamquam nomine familiari uterentur, quo ipso famae et auctoritati suae consulerent, fidemque maiorem praeceptis et inprimis medicamentis a se praeparatis conciliarent. Atque hoc modo *secunda* s. *posterior* series Asclepiadarum medicorum secuta est, nulla stirpis gentisve nec vitae in templis communione inter se iunctorum. Plerique horum Asclepiadum vixere intra saeculum primum *ante* Christum n., et saec. primum *post* Chr. n., usque ad Hadriani et Antonini tempus: quo itaque tempore mos ille nominis illustris adoptione gloriolam sectandi inter medicos, praesertim ex Alexandrina atque Romana schola, inprimis floruisse videtur. Plurimi superaddere solebant illud cognomen familiari nomini, aut illi priori loco posito addere nomen urbis patriae. Neque omnium, quotquot hoc nomen sive cognomen usurpaverint, medico-

rum ad nos venit notitia; quin immo verosimile sit, maiorem fuisse numerum eorum Asclepiadum, quorum nulla servata est memoria.

Sed in iis quoque medicis Asclepiades dictis recensendis atque definienda tum aetate, qua vixerint et qua sibi successerint, tum patria locove, quo inclaruerint artemve exercuerint, haud exiguae obveniunt molienti difficultates, quae eo magis premunt implicantque historiographum, quo parciores atque obscuriores de plerisque horum Asclepiadum apud veteres auctores occurrunt notitiae, haud raro admodum ambiguae vel confusae; quid, quod aliquorum ex iis non nisi in marmorum inscriptionibus, a *Grutero*, *Reinesio*, *G. Vossio*, aliisque expositis mentionem factam teneamus. Quum nullius horum Asclepiadum scripta, neque fragmenta quaedam ipsis auctorum verbis ad nos pervenerint, in quo certe quod spectat ad Asclepiadis Bithynii, omnium celeberrimi, opera numerosa magnam iacturam factam dolemus, de placitis praeceptisque ipsorum sicut de medicinae clinicae, quam fecerint, ratione et pretio solummodo ex auctorum aut coaevorum aut seniorum, qui de illis egerunt, aut quorumdam sententias praeceptaque aut inventa breviter commemorarunt, praesertim *Galeni*, *Plutarchi*, *Plinii* maioris, *Celsi*, *Caelii Aureliani*, *Scribonii Largi*, *Aetii*, *Apuleii* etc., relationibus iudicium aliquod ferre licet. Tum quidem ex his fontibus, tum ex pluribus marmoribus inscriptis plures viri docti superioris praesertim saeculi, et recentiores quoque, horum virorum Asclepiades dictorum historiam ex tenebris eruere, atque quot fuerint, et qua aetate quove loco singuli vixerint, extricare studuerunt. Inprimis de hoc penso doctis laboribus promeruerunt *G. Vossius* de Philos. cap. XI. et de Hist. Graec. cap. XVIII et XXII, *J. Gruterus* thesaur. inscript. LXXI XCIII, *Th. Reinesius* in syntagm. inscription. pag. 609 sqq. et epist. ad Rupertum XXXXVI pag. 395 sqq., ubi vir eruditissimus de scriptis Asclepiadae acturum se esse promisit, morte tamen impeditus fuit, praesertim *Jo. Alb. Fabricius*, in Bibl. Graec. Vol. XIII, lib. 17 (de quo vid. paulo infra), *Dan. Clericus* (*le Clerc*) in Hist. de la Med. Part. II. lib. III. cap. 4 — 10., *Dan. Vink* Amoenit. philol. med. (Traj. ad Rh. 1730) sect. III. cap. 3. pag. 319 sqq., *Abb. Blas. Garo-*

falo, in Epistola italice scripta, in parte I. Ephemeridum litt., Romae 1718, et translata in *le Clerc* Hist. de la med. p. 410 sqq., *C. J. Walch*, Antiquit. med. select. sect. V, *A. Haller* in Biblioth. med. pract. T. I. p. 140 sqq. l. m. *Kurt. Sprengel*, itemque in Bibl. bot. I. et chir. I., *J. C. G. Ackermann*, Hist. med. 1792, *C. Fr. Burdach*, praes. *Birkholz*, diss. exhib. scriptorum de Asclepiade indicem. (Eiusdem Viri celeberr. liber doct. »*Asclepiades* u. *John. Brown*, eine Parallele, Lips. 1800, sicut *Cl. Gumperti* docta commentat. de Asclepiade Bithyno (1794), et *Fragmenta Asclepiadis*, ab Eodem edita (1794) ad Bithynum hunc exclusive pertinent.) In quo tamen proposito non omnes illi auctores pari successu allaboravere, aliis quippe medicorum Asclepiades dictorum copiam nimis numerosam, aliis nimis restrictam perhibentibus, aliis itidem plures diversosque Asclepiades in unum confundentibus, sibique in elencho suo non constantibus. In uno tantum medico Asclepiade, eoque omnium huius nominis longe principi et sicut celeberrimo, ita apud Galenum reliquosque veteres plurimum laudato, (A. Bithynio) definiendo et describendo fere omnes conveniunt, aliquantum dissentientes solummodo in aetatis urbisque patriae consignatione. Quod autem ad numerum, recensitos invenimus apud *Reinesium* Medicos Asclepiades *octo* (Bithynum, iunior. Ascl. Pharmacionem, Arruntium Sempron. Ascl., Calpurnium Asclep., Aelium Ascl., P. Numitorium Ascl., Ascl. anonymum, et Ascl. Ephesium)!, apud *Fabricium* ipsum (qui ex Reinesio etiam reliquos memoravit), expressim solummodo *duo* (Bithynum et Pharmacionem), reliquis incertis relictis, apud *Blas. Garofalum* (l. m.) *duodecim*, quorum autem aliqui perperam dispositi et confusi, partimque haud medici fuisse videntur, apud *Clericum*, secundum *Gruterum*, *septem* certiores, et quatuor incertos, quorum aliqui pariter confusi sunt habendi, apud *Hallerum* tum *sex septemve*, tum *octo*, apud *Walchium sex*, totidemque apud *Rupertum*. Neque mirabitur hic in medicis Asclepiadis nomen gerentibus dissensus quemque secum reputantem, tum quidem, plurium ex hisce non aliam nisi in lapidum inscriptionibus inveniri memoriam, eamque saepe esse admodum obscuram ambiguamque, tum quorumdam ab ipsis auctoribus graecis, praesertim

a *Galeno*, admodum vagam mancamque fieri mentionem, confusione vix non carentem[1], tum etiam quosdam ex illis neutiquam medicos fuisse, sed Philosophos aut Grammaticos.

Quae quum ita sint, haud inutile quid nec superfluum acturum me esse putavi, quum comparatione diligenti tum locorum apud veteres auctores huc facientium tum modo laudatorum nuperiorum de eodem argumento scriptorum novam medicorum Asclepiades dictorum lustrationem et quam fieri poterit correctiorem et certiorem ipsorum recensionem molirer. In hoc labore nunc cum lectoribus communicando solummodo in eruendis iis, quae de vitae munerisve conditione, aetate, patria aut domicilio, et de scriptis aliquorum Asclepiadum inveniri poterant, subsistere volui, reliqua plurima, quae de doctrinis placitisve vel inventis celebriorum ex hac serie (Asclep. Bithyni et Pharmacionis, nam de reliquorum Asclepiadum vita et doctrinis nihil prorsus constat) dicenda forent, et quae iam ab aliis latius et docte exposita sunt, hic paucissimis tantum attingens.

I. Asclepiades Bithynus, s. Prusiensis.

Is vir suo tempore celeberrimus iure optimo agmen ducat, quum is non solum aetate, qua floruit, sed nominis etiam fama, ingenii acie praeceptorumque et meritorum laude reliquos omnes Asclepiades dictos anteivisse videatur. De nullo quoque Asclepiade tantum apud veteres (*Galenum* praesertim, cui etsi Asclepiadis huius doctrinae adversario acrique censori plurimas de hoc viro notitias et haud pauca praeceptorum fragmenta debemus, nec non *Caelium Aurelianum*, magnum ipsius admiratorem) et recentiores medicae antiquitatis scriptores disputatur, quam de illo, quem omnino novissimi quoque plures viri docti inprimis dignum habuere, cuius memoriae recolendae placitisque dispiciendis operam solertiorem impenderent. Conferantur e veteribus de hoc A. Prusiensi sive etiam *Ciensi* *) (quod epitheton populare antiquius fuisse vide-

---

*) *Ciensis* propterea quoque passim (raro tamen) vocatus, quod civitas ***Prusia*** anti-

tur) praeter *Galenum*, de natural. facult., de usu part., de comp. med. e. s. p., *Plutarchus* de placitis philosophorum, *Celsus*, aliquoties A. laudans, *Plinius*, hist. nat. plur. locis, *Scribonius Largus*, et *Rhodius* ad hunc, *Caelius Aurelianus*, saepissime de A. locutus, *C. Apuleius*, in florid., tum inter nuperiores *Th. Reinesius*, *Epist.* LVI ad *Rupertum* pag. 395 sqq. *Gronovii* thesaur. antiquit. graec. T. X. pag. 881 et 1195, et ibi *Meursius*, *G. Vossius*, l. m., *D. Le Clerc Hist. de la Med.*, pag. 392—420, *J. E. J. Walchius* in Antiquitatt. med. select. p. 119 sqq., *A. v. Haller* in Bibl. med. pract. et Bibl. anatom., et chir. *Anton Cocchi* in *Discorso primo sopra Asclepiade*, agli filio *Raimondo Cocchi*, Florentiae 1758 edito, quam primam particulam quatuor aliae ex autoris consilio sequi debuerant, nisi autorem eruditissimum praematura mors eripuisset, nec non *Bianconi*, *Briefe über den Celsus*, übers. von *Krause*. Leipz. 1781. pag. 21 sqq.; porro *Gumperti* supra laudatam duplicem scriptionem, de Asclepiade Bithyno et Fragmenta Asclepiadis, 1794, nec non Cel. *Burdachii* supra laud. doctissima scripta bina, atque Cel. *Sprengelii* et *J. Heckeri* historias medicinae aestimatissimas.

Asclepiades, natus in urbe *Prusia* sive *Prusiade* Bithyniae *), circa annum urbis cond. DXC, Pompeio nec non Cicerone prior, Mithridati coaevus **), Romam venit circiter A. 100 ante Chr. n. sive Olymp. CLXX, 1 (*Sprengel*; a. Vrb. Cond. 630, secundum Cl. *Burdach*), ibique primum

---

quiori tempore *Cio* (testibus *Strabone et Galeno*) audiebat; de quo plura vid. apud *le Clerc Hist. de la med.* l. m. et cfr. ibid. Abb. *Garofalo* Epistolas.

*) Hanc ipsam urbem, prius *Cios* vocatam, ab aliis duabus urbibus Prusia pariter dictis distinguere docuere praesertim *Scaliger* ad Euseb. Chron. p. 78 et ad Strabon. C. XII. p. 844., tum *Salmasius*, Exercit. Plin. T. I. p. 616, et *Garofalo* apud Le Clerc l. m. Altera scil. urbs Prusia ad Olympum montem Bithynicum, tertia sub Hypio flumine sita fuisse dicitur.

**) *Galenus* compos. medic. sec. loc. l. VII. Pompeium haud amplius Asclepiadis coaevum, sed *post* huius demum obitum (a. U. C. 647) natum fuisse, *A. Cocchi*, atque censor libri Walchiani (in Götting. Philol. Biblioth. II, 3., 1773) probare studuerunt.

Rhetorices magister*), huius autem artis haud sufficientem quaestum inveniens, post paucos annos ad artem medicam transiit, quam pari studio ac sagacitate amplectens, nova plane theoriae medicae scil. *methodicae* fundamenta iecit, in ea *Epicuri* potissimum philosophiam atomisticam sequutus. Quae quidem Asclepiadis medicina, etsi primum repetita esset a Dogmaticorum schola, tamen in omnibus fere, quae Dogmatici post Hippocr. ad illa usque tempora docuerant, ab ipsorum disciplina discrepavit, itidemque in medendi methodo, in qua Asclepiades, *Celso* teste, inprimis *Cleophantis* praeceptis adhaesit, novam plane ingressa est viam. Curationes per medicamenta diaeteticis postponens, pharmacisque magis adversans, quam favens, sibi tamen in hoc non constans fuit, et saepe, Empiricorum ad instar, nimius fuit in medicamentis compositis, coacervatis: erga aegrotos facilis, officiosus, sed magniloquus, gloriaeque admodum avidus.

Atque, ni omnis fallor, meliori iure ipse Asclepiades huius, quam discipuli solummodo plenius exstruxerunt et novis omnino vel in strictius systema redactis positionibus theoreticis et praeceptis practicis adauxerunt, doctrinae methodicae, etsi non ab ipso, sed a discipulis demum, *Themisone*, et decem lustra post a *Thessalo* sic dictae, verus stator princepsque auctor dicendus erit, quemadmodum idem *Plinius* quoque expressis verbis confirmat. Neque videntur, quae post *Themisonem*, plura in senio demum innovantem, a thrasone isto *Thessalo*, altero sectae methodicorum capite, et metasyncriseos illius principali auctore, meliusque a *Sorano* illi medicinae methodicae addita vel aliter statuta sunt, ipsa physiologiae et pathologiae Asclepiadeae principia tetigisse vel reformavisse, sed in specialioribus potius medicationis et diaetae regulis stabiliendis mutandisve constitisse. Ut paucis comprehendam, quaenam fuerint Asclepiadis theoriae methodique principia ex Epicuri philosophia et physiologia materiali s. atomistica hausta, (quipe quum post labores doctissimos virorum

---

*) *Plinius* l. VI, cap. 7.

supra laudatorum, *Clerici, Halleri, Ackermanni, Sprengelii, Gumperti, Burdachi, Heckeri*, nova fusiorque huius argumenti retractatio omnino superflua foret), sufficiat haec animadvertere.

Hippocraticam observandi et prius exspectandi, quid natura faciat, quove tendat, viam, atque in ipsa positam totam medicinam analyticam iuvenis adhuc relinquens *Asclepiades* noster, et ad Erasistrati Dogmaticorumque ratiocinantem magis et aliquomodo abstractiorem morborum considerationem et therapeuticen synthesi exstructam propius accedens (perperam a Caelio Herophileis propior habitus, quum tamen ipse idem Caelius pluries omniumque optime et definite nostrum methodicae theoriae, modo non sectae, principem statorem dixerit), mox in ipsa physiologia atomistica, materiem primariam omnis vis omnisque motus causam statuente, fundamentum firmius theoriae invenire sibi persuasit, quippe quam naturae medicatrici (quam tamen minime altiori sensu biodynamico agnovit, sed tantummodo ut servandi aequilibrii inter materiae organicae moleculas elementares (ὀγκους) et inter spatiola vacua, in quibus illae continuo circummoveantur, continuum nisum consideravit), explicandae et ipsi therapiae facilitandae commodiusque regendae magis consentaneam habuit. Quemadmodum is normam vitae et sanitatem in recta et ordinata motus των ὀγκων in poris s. spatiolis vacuis temperie, simulque in iusta atomorum ad spatia in diversis organis fluidisque proportione positam ratus est, ita morbum quoque ex huius proportionis sive aequilibrii specifici inter utrumque massae et performationis solidorum fluidorumque organicorum factorem, quem dicunt, turbatione (ex συγκρισεως laesione) proficisci putavit: huiusque duplex genus summum statuit, aut scil. ex nimia atomorum colluvie, s. congestione et constipatione, sive stasi in poris nimis refertis (genus strictum Themisonis et reliquor. methodicorum), aut ex nimia atomorum diffusione et disiectione in spatiolis nimium ampliatis (genus laxum vel solutum methodicorum.) Unde therapiae quoque duplex ratio methodusque ipsi videbatur, solvendi et relaxandi nimiam cohaesionem, et stringendi contrahendive nimiam diffusionem et laxitatem, vel colliquationem (methodus metasyncritica

Thessali et Sorani). In suis curationibus Asclepiades in universum diaetae, in qua regunda excelluit, magis dedisse, quam pharmacis, iam dixi. Haud reticendum tamen est, ipsum, anatomiae imperitum, physiologicas atque pathologicas observationes, sicut etiam vere empiricam therapiam, cuius osor potius erat, nimium neglexisse, atque perinde contra Hippocratem ipsum, cuius licet libros quosdam commentatus esset, iniusto contemtu insurexisse, sicut etiam Dogmaticos vilipenderit *).

---

*) Ut paucissimis tantum, quae fuerit Asclepiadis nostri therapeutice, et quomodo medicinam is fecerit, significem, e *Celsi*, (qui ipsum Asclep. „multarum rerum, quas ipsi secuti sumus, auctorem bonum" vocat, lib. IV cap. 4) *Plinii*, *Galeni* (qui uterque etsi ingenio et facundiae illius viri laudes suas non denegavit, satis acerbe tamen rudem et incomtam eius empiriam, cognitione corporis solidiore destitutam, grandiloquamque eius ostentationem perstrinxit), nec non e *Caelii Aureliani*, ipsi nostro, etsi saepius laudato, plura tamen in vitium vertentis testimoniis, haud omnino quidem a partium studio et (Galenum certe si respicis) ab invidia liberis, sequentia notare sufficiat. Naturae medicationibus facultatique autocraticae et medicatrici parum confidit, ipsam potius saepius impedire curationes et nocere magis quam opitulari, contra Hippocratem, quam in hac naturae virium laudatione derisit, contendit, diesque criticos reiecit. Acutorum morborum naturam in universum in strictura pororum, chronicorum in laxitate et in prava simul dispositione τῶν ὄγκων καὶ πόρων posuit, plethoram tamen vix admittens, neque hinc sanguinis detractionibus multis largisque indulgens, in quo certe phlebotomophiliae illius aevi immodicae acriter adversatus bene de civibus servandis promeruit. Nihilominus tamen in hac ipsa phlebotomiae sepositione admodum sibi inconstans, eam admisit in variis morbis nervosis, uti in epilepsia, tetano, doloribus magnis etc. Vino pro medicina principi habito multum neque discrete usus est in morbis, etiam in acutis, adeoque in phrenitide, in aliis abstinere ab ipso iubens. Vomitoriis et alvum fortius purgantibus medicinis inimicus fuit: tanto magis indulsit clysmatibus et unctionibus oleosis, maximeque omnium studuit balneis adhibendis, quorum magnam varietatem, adeoque pensilia, invenit, nimium in hoc remedii genere sicut in lectulis mollissimis iisque etiam pensilibus aut oscillantibus commendandis, luxuriei atque aegrotantium voluptati sese commodans. Itidem frictionibus cutis per aliquot dies severe continuatis (ad poros obstructos aperiendos stasinque corpusculorum discutiendam), nec non gestatione, circumambulatione et alia quavis corporis emotione ad fatigationis usque acmen per primos cuiusvis morbi tres dies (diatriton) singulari

Summam famam gloriamque attigit Asclep. circa a. V. C, 650, et in suprema senectute, aetatis anno 80 *), vitam obiit infelici casu, scil. lapsu scalarum, a *Plinio* (Hist. Nat. VII, 37) memorato a. V. C. 660, vel ante Chr. n. 72. (secundum *Bianconium* a. U. C. 663.)

Tanta fuit huius medici aeque ingeniosi ac in medicina facienda versatissimi et disertissimi inter Romanos auctoritas, ut non solum ab iis tanquam benefactor populi vitaeque sospitator coleretur, sed etiam ipsius potissimum gratia et celebritate Julius Caesar commotus fuerit, ut medicis Romanis, antea parvi existimatis et libertis aequales habitis, civitatem romanam tribueret (ol. LXXII. 1.). Quanti huius viri scientia et medicinae faciendae peritia apud Romanos habita fuerit, ex eo

---

studio uti, eosque per hoc tempus cibis largiter nutrientibus quibusvis vinoque carere iussit, strictissima diaeta nisi ieiunio in hac periodo aegrotos extenuans. Qua vero transacta illico ad lautam et stimulantem diaetam vinumque et voluptates transire aegros iussit; male tamen exinde se habentes iterum per diatriton ad ieiunium, frictionesque etc. remisit. Tuto, celeriter, et iucunde curare, Asclepiadis erat symbolum, quo se Romanis inprimis commodare studuerat: sed bene ad haec verba *Celsus* (lib. III. cap. 4) monet: id votum est, sed fere periculosa esse nimia festinatio et voluptas solet.“ *Plinius*, ostentationi et vanitati viri hypotheseos amore capti et tam arbitrario modo antiquiorum theoriam abiicientis infensus, nimis acerbis in ipsum invehitur opprobriis. Durabat, inquit ille, antiquitas firma, magnasque confessae rei vindicabat reliquias, donec Asclepiades aetate magni Pompeii, orandi magister, nec satis in arte ea quaestuosus, huic repente se convertit, atque, ut necesse erat homini, qui nec id egisset, nec remedia nosset, torrenti ac meditata oratione quotidie blandiens omnia abdicavit, totamque medicinam coniecturam fecit: quinque res maxime communum auxiliorum professus, abstinentiam ubi, alias vini, frictionem corporis, ambulationem, gestationes. — — Universum prope humanum genus circumegit in se, non alio modo, quam si coelo emissus advenisset. Trahebat praeterea mentes artificio mirabili, vinum promittendo, dandoque tempestive. — Id solum possumus indignari, unum hominem e levissima gente — repente leges salutis humano generi dedisse, e. s. p.“

*) Singulari et vix explicabili errore seductus Gallus quidam Philologus *Tongevillus Harmet*, in Mémoires de Trévoux, a. 1718, Asclepiadem annorum 150 aetatem attigisse contendit.

quoque apparet, quod simili mode, uti olim de *Empedocle* fama erat, ipsum mortuos (asphycticos puta) vitae restituisse dictus fuerit; confirmante hoc ipso *Plinio**). — A *Scribonio Largo*, in Epist. ad C. Jul. Callistum, noster maximus medicinae auctor vocatur, et ab *Apuleio* inter praecipuos medicorum, si unum Hippocratim excipias, refertur, caeteris princeps (lib. IV. p. 362). Pariter *Sextus Empiricus* nostrum dicit medicum nulli alii cedentem (advers. mathemat. L. VII.). Idemque Asclepiades consuetudine clarissimorum virorum et principum usus est, ut Crassi, Mithridatis, a quo ad medicam opem ipsi ferendam expetitus fuit, aliorumque. Verum corrigendus est locus apud *Reinesium* et *Walchium*, ubi dicitur »quo (Asclepiade) medico se et amico usum esse Cicero testatur libr. I. de Oratore, cap. 14.,« id quod etiam a J. A. *Fabricio* affirmatum fuit, (Bibl. Gr. T. XIII. p. m.). At verba ista non sunt Ciceronis, sed *Crassi*, quem Cicero ibi loquentem profert; ideoque illa de *Crasso* quoque sunt intelligenda. Neque potuit virili aetate amicus et coaevus esse Cicero Asclepiadis, siquidem ille, Pompeio coaevus, post mortem demum Asclepiadis, quem forte puer viderat, floruit. —

Inter *Asclepiadis* discipulos et sectatores inprimis eminuerunt *Themison Laodiceus*, *Chrysippus*, *Titus*, *Niceratus*, *Artorius*, *Julius Bassus*, *Petronius*, *Diodatus*, *Sextius Niger* et alii.

A quibusdam Asclepiades dicitur *Apollonii Erasisratei* discipulus, et a Reinesio additur, *Apollonii*, *Stratonis* fil.: at ne dicam, de hoc optimos super Asclep. scriptores vet., quales Celsus et Caelius Aurelianus, prorsus tacere, id propterea haud pro certo statuendum esse crediderim, quod Apollonii illi, sive fuerint Stratonis filius s. Memphitis, sive Apollonius Mys, aetatis antiquioris fuisse videntur, quam quae cum tempore, quo

*) *H. N.* Lib. VII. cap. 37. ,,Summa autem fama Asclepiadi Prusensi condita nova secta, spretis legatis et pollicitationibus regis Mithridatis, recepta ratione, qua *vinum* aegris medetur, relato *e funere* homine et servato; sed maxime sponsione facta, ne medicus crederetur, si unquam invalidus ullo modo fuisset.“ Cfr. ad haec *L. Apuleium.* L. IV. *Trincavellum* de nobilit. cap. 31., *Kirchmann* de funerib. Roman. c. 13.

Asclepiades ad medicinam transiit, conveniret. Praeterea de nullo horum Apolloniorum, de quibus alio loco pluribus egi, certo constat, illos Romae degisse.

J. A. Fabricius, postquam in Elencho medicorum veterum*), quem quasi Appendicis et Auctarii loco volumini ultimo (XIII, lib. VI. cap. IX, editionis veteris) Bibliothecae suae graecae haud idonea congerie nec bono strictoque ordine subiunxit, ipse de Asclepiade Bithyno nimis breviter, omissaque omni critica historicave disquisitione, tractaverat, fere solum in repetendis Plinii de illo dictis subsistens, reliqua tum de hoc Bithyno tum de aliis Asclepiadibus ex *Reinesio* repetit, ad haec solummodo de Asclep. Pharmacione quaedam propria addens. Indicem tamen librorum Ascl. Bithyni depreditor. exhibet, quem statim auctiorem dabimus.

Monente eodem *Fabricio*, vetus Asclepiadis *icon* et monumentum servatur apud illustrissimum Alexandrum Albanum, quod singulari dissertatione erudite illustravit V. C. Blasius Caryophilus (*Garofalo*), Neapolitanus, in parte prima diss. Miscellanearum editarum Romae 1718. 4, in qua de Asclepiade eodem nostro fusius tractat, qui etiam *Philosophicus* Galeno T. II. edit. Basil. pag. 283 audit; (ubi perperam excusum esse φιλοσοφικοῦ pro φιλοφυσικοῦ, Fabric. addit.). Hunc iconem expres-

*) Hunc Elenchum medicorum veterum Fabricianum, etsi vastissimae illius eruditionis, qua *Fabricius* polluit, testem, male tamen et eo tantum, quem alphabetum iussit, ordine absque omni critices et historicarum rationum usu confectum, equidem olim, ex voto *beati Patris*, pia mihi semper memoria recolendi, in usum novae, quam b. *Pater* tum iam ad Tomum XII perduxerat., B. Gr. editionis denuo elaborare, in novum ordinem redigere atque multis, quae huc non pertinuerant, abscissis et reiectis, nova plura addere coeperam. Laborem tamen vix inchoatum remittere me oportuit, quum variis ex causis, patre invito, operis editio a Bibliopola absolvi non potuerit, eaque, quae a b. Patre iam ad ultimum Tomum praeparata erant, imperfecta reponerentur. Spero tamen fore, ut reliquiae hae b. Patris, nisi etiam meae aliquae ad illum Elenchum symbolae, ad complendum opus vastum brevi tempore a *filio meo* dilecto, *Hermanno Harless*, Gymnasii Herford. Rectore vic., colligentur, curis utique novis adaugendae.

sit quoque Dan. *le Clerc* in Histoire de la med. *Alium* Asclep. iconem ex Museo Capitolino a G. Dom. Campiglia delin. et a S. Pomared in fol. sculpt. memorat *Moehsen* in egregio suo opere: Verzeichn. einer Sammlung von Bildnissen ber. Aerzte, VIII. pag. 9.

Scripta edidit Asclepiades Bithynus permulta, quorum tamen nullum integrum ad nos pervenit; neque supersunt nisi paucula fragmenta, a Galeno aliisve serioribus servata. Interea plurimorum saltem Asclepiadis *operum* inscriptiones novimus ex modo dictis auctoribus, Galeno, Celso et Plinio; unde b. *Fabricius* iam confecerat elenchum, quem equidem hic paulo auctiorem reddo:

Scripsit Asclepiades: 1) de *communibus adiutoriis* libr., citat. a Caelio Aurel. morb. acutor. I, 15. m. chronicor. II, 13, seu, uti a *Celso* de med. lib. II, 14. vocatur, de *communibus auxiliis.* — 2) *De celeribus seu acutis passionibus* libros III, apud Caelium Aur. multis locis cit. — 3) *Definitionum* librum, Cael. Aur. acut. I, chron. II, 13. III, 19. (nam hic loco »libro de finibus« certo »definitionum« legendum est). — 4) *De tuenda sanitate,* Celsus I, 3. — 5) *De febribus periodicis*, Cael. Aur. II, 10. acutor. — 6) *De respiratione* et *pulsibus,* Galen. ed. Chart. T. II, p. 157. — (Idem sine dubio liber de pulsibus a Galeno, T. III. p. 51. citatur). — 7) *Libros contradictorios ad Erasistratum,* Cael. Aur. acut. II. 33. chronic. V. 2. — 8) *Libros parasceuasticos ad Erasistratum* (sive potius παρασκευαστικῶν, uti apud Scribonium Larg. in Epist. scribitur, i. e. parationum et parabilium medicam.), ubi affirmasse Asclepiadem Scribonius ait, ultimae sortis esse medicum, qui non ad singula quaeque vitia binas ternasve compositiones easque expertas protinus paratas habeat. — 9) *De hydrope,* Cael. Aur. chronic. III, 8. — 10) *De tabe,* Aetius Tetrab. III, l. 2. c. 30. — 11) *De Vini datione,* Cael. Aur. acutor. II 29., sive de *dando vino volumen,* Plin. Hist. Nat. XXIII, 2. — 12) *De Clysteribus,* Cael. Aur. chron. II, 3. — 13) *De Ulceribus,* Cassius problem. XXX. — 14) *De Alopecia* Galen. T. II. p. 157. — 15) *De Lue* libri, Cael. Aurel. Acutor. II, 39. — 15) *Salutarium librum ad Geminium,* Idem Chronic. II, 39. — 17) *De Elementis,* cit. in Ga-

len. l. de Element., Opp. ed. Chart. T. I. p. 56. 58. — 18) *Commentarios in varios libros Hippocraticos obscuriores,* nominatim in *Hipp. Aphorismos,* habet Cael. Aurel. auctor. III, 1., et *Comm. in Hipp. libr. de officina med.* habet Galenus in suo in hunc librum commentario I, opp. T. XII, p. 2., ubi fragmentum ex Asclepiadis commentario sat longum lectuque dignum invenimus. Cfr. *Erotianum* sub. voc. σκεπαρνος. — 19) Denique *ad Mithridatem* scripsisse Asclepiadem volumina de medicina (titulo ipsorum haud specialius descripto) *Plinius* H. N. XXV. 2. auctor est. — *Fragmenta* quaedam, tum supra (ad litt. 17) memorata aliaque ex Galeno et Caelio breviora, tum aliquanto longiora in collect. chirurg. *Nicetae* (a *Cocchio* edit.) servata recudi curavit Cl. *Gumbert,* 1804. Nova tamen illorum collectio et recensio desideranda.

II. Asclepiades Pharmacion.

Hic vir, Bithyno s. Prusiensi Asclepiade aetate multo inferior, nomine pleno *Marcus Terentius Asclepiades* dictus*), et tam ob plurium medicamentorum inventionem, quam ob conscripta plura opera de medicamentis, *Pharmacionis* nomine insignitus, vixit Galeno teste**) Romae brevi post Chariclem, quem *Tacitus* (Annal. VI, c. 50) medicum Tiberii aetate insignem vocat, temporibus Imp. Neronis et Domitiani, i. e. intra annos 60—90 post Chr. Conferantur de ipso praeter *Galenum,* qui fere solus e veteribus auctoribus huius medici specialiorem mentionem pluries fecit, eumque etiam Asclepiadem *iuniorem* vocat, maxime ex illo *Th. Reinesius* (epist. ad Rupert. XXXXVI. p. 395), *J. A. Fabricius* (B. Gr. XIII. p. 89), *Dan. Le Clerc,* qui multa de hoc medico habet (l. m. C. III. cap. X.), *Haller,* (Bibl. botan. I, p. 105. Bibl. chirurg. I, p. 76., ubi tamen *Haller.* A. Pharmacionem a Terentio illo diversum censere mavult, quod Terentius seorsim quoque citetur, et Bibl. med. pract.

---

*) *Galen.* de compos. med. sed. gen. T. VII. cap. 6. Eius de compos. med. sec. loca T. I. c. 9 et lib. IV. c. 5. 6 et pluries.

**) De compos. medic. sec. loc. II, 2.

T. I. p. 216), et *Sprengel* (l. m. T. II.). Patriam huius Asclepiadis, quem le Clerc Graecum origine habet, nusquam expressim notatam invenimus, sed probabile est, Romam fuisse, etsi stirps sua e Graecia forsan orta fuerit. Medicinam certe Romae fecit, neque exiguam in hac famam peritiaeque laudem nactus est. Inter alias curationes ab ipso peractas refertur a *Galeno* (de different. morbor. I, 9.) illa *Nicetae* Smyrnaei, cui (ex hydrope) corpus ad tantam molem increverat, ut loco moveri nequiret. Ex hoc facto *Fabricius* simul novum testimonium aetatis, qua Pharmacion floruerit, depromit, siquidem Nicetam illum Sophistam et sacerdotem tempore Neronis et proximorum Imp. vixisse, et Plinium in rhetorice discipulum habuisse, illiusdemque etiam Senecam et Philostratum meminisse observat.

Inprimis vero in re medicamentaria studiose retractanda, ordinanda, et amplificanda clarus fuit *A. Pharmacion.* Multas novas praeparationes medicinales pro usu tum interno tum externo invenit, alias plures emendavit, et non solum praeparandi atque administrandi modos, sed etiam virtutes singulorum therapeuticas exactius et accommodatius ad clinices usum, quam plerique pharmacographi ante eum, illustrare studuit. Id solum *Galenus* ei vitio vertit, quod nimium sese dederit multiplicandis et coacervandis medicamentorum compositionibus, sive bonis sive malis, adeoque stercoraceis, horumque intemperata congerie libros, quos in publicum edidit, medicamentarios praeter justum amplificaverit. Caeterum non haesitat Idem, Asclepiadem hunc inter optimos rei medimentariae auctores referre, qui rejectis inconcinnis minusve certis veterum medicamentis praestantiora tantum retinuerit, multisque perutilibus auxerit, eique prae Andromacho aliisque locum tribuere (de compos. med. sec. gen. l. VI). Sat multa, quae *Galenus* ex Asclepiadis huius scriptis deperditis laudavit, medicamenta composita *Hallerus* citat, tam *Pharmacionis* ipsius inventa, quam ab ipso ex *Asclepiadis Bithyni, Mantiae, Thessali, Arei, Andromachi, Musae, Heraclidis Tarentini* etc. praeceptis scriptisque collecta; inter quae praesertim multa narcotica et anodyna (solanum nigr., hyoscyamus, mandragora, opium, castoreum,)

atque antipthisica (marrubium praesertim) conspiciuntur. In variis emplastris, unguentis, et malagmatis (quae inprimis praescribere amavit), partim satis bonis, componendis pariter multus fuit*). Haud tamen prorsus alienum fuisse ab aevi sui empiria rudiori ac superstitiosa, nimis variegatae ineptaeque et perversae saepe medicaminum coagmentationis studiosa, plures probant Pharmacionis nostri formulae medic., a *Galeno* nec non ab *Aetio, Oribasio, Tralliano* servatae.

Librorum pharmaceuticorum, quos *A. Pharmacion* scripsit, et quos *Galenus* inter optimos et utilissimos huius generis refert **), nec non medicorum haud exigua copia fuisse videtur. Omnes tamen interierunt, nisi forte exceperis *codicem formularum Asclepiadis*, quem adhuc in Bibliotheca Vindobonensi anecdotum latitare, *Hallerus* ex Catalogi B. Vindob. T. VII. p. 248 refert, cuius tamen mihi non est amplior notitia. Praecipuum vero clarissimumque A. nostri fuit opus libris *decem* absolutum, *de compositione medicamentorum* (συνϑεσεις φαρμακων ἀξιολογους ἐν δεκα γραψας βιβλιοις, χωρις των ϑηριακων και γυναικειων, *Galen.*) cuius quinque priores libri περι των ἐκτος δυνάμεων dedicati et inscripti erant matronae Romanae *Marcellae*, unde etiam hoc nomine citari solebant; (*Hallerus*, errore quodam fortuito putem, quartum tantum librum Marcellae inscriptum fuisse refert), quinque posteriores, περι των ἐντος δυναμεων, *Mnasoni*, quem *le Clerc* ex familia Papyria fuisse suspicatur, inscripti, ideoque etiam hoc tantum nomine plerumque citari soliti. Ex hoc potissimum opere Galenus multas compositiones et fragmenta

---

*) Horum emplastr. unum exemplar adferre placet ex *Galeno*, scil. *Emplastrum Asclepiadis ad ulcera chironia* (de comp. med. sec. loc. l. IV)): Rec. squamae aeris unc. 1, cerae fl. libr. dimid., resinae laricis (Terebinth.) Unc. dimid., liquatur cera et resina et adm. pulv. squam. aer. (cupri usti). *Usus:* extendat. s. q. frustulo corii, latitudine ulceris, et circumdetur medicam. aliud quoddam inflammation. coercens. Tum post 3 demum dies adimatur empl., lavetur ulcus, et abstergeatur emplastrum, idque denuo per 3 dies imponatur, ad cicatricem usque.

**) *χαριν εἰδεναι χρη τῷ Ἀσκληπιάδῃ οὑτω σαφως γραψαντι,* de comp. med. sec. gen. 11, 5.

adfert, in quibus citatos ab auctore Asclepiadem *Bithynum*, atque etiam *Asclepiadem philophysicum* quendam (de quo vid. paulo post), nec non *Scribonium* (an *Asclepiadem?* aut *Largum?*), *Lucium*, praeceptorum suum, *Xenocratem*, *Moschionem*, et *Antonium Pharmacopolam* invenimus. Libro primo των ἐκτως δυναμεων titulum specialem fuisse πανταγαθων, secundo ἡ Αιγυπτια, *Galenus* l. m. narrat. Scriptionis errore *Hallerus* operis περι των εντος etc. titulum vertit »de internis affectionibus.»

Bina adhuc alia *Pharmacionis* scripta a *Galeno* laudantur, nimirum l. l. των θηριακων, s. *de antidotis*, et libri των γυναικων, s. *de mulierum affectionibus*, ex quibus nihil ad nos pervenit.

Hunc Asclepiadem eundem fuisse *Abb. Garofalus* (l. m.) autumavit, qui apud Galenum *Metrodori Asclepiadis* nomine venit. Sed recte iam *Fabricius* (l. m.) monuit, Garofalum erravisse, siquidem Metrodorus ille, aetate aliquanto prior, Galeno ipso ita clare distinguente, ex Asclepiadis Bithyni discipulis fuerit. Plura de hoc Metrodoro, Sabini auditore, ex *Plinio* (l. XX, 20 l. XXX, 2), eius librum: ἐπιτομη των ῥιζοτομουμενων citante, *Fabricius* l. m. p. 337. habet.

III. Arius Asclepiades, s. Areus.

Hoc nomine alius Asclepiades, a Galeno Tarsensis quoque dictus, apud *Stephanum* Byz. vero *Anazarbeus* vocatus (sin alius idem est), Pharmacioni fere coaevus, nisi aliquot lustra iunior, materiae medicamentariae scriptor haud ignobilis, a Galeno aliquoties laudatur *). Scripsisse fertur librum unicum de medicamentis, haud compilatum, sed totum ex propria observatione, et quod ad formulas medicas, ex sua ipsius inventione confectum, quem Galenus laudat. *Hallerus* **) hunc A. Areum amicum Dioscoridis, auctoris certe libri de propriis medicamentis, vocat, cui Dioscorides Tarsensis medicamentum ad carbunculos tradiderit. Nescio, an recte ita vir magnus dixerit.

---

*) De comp. med. sec. gen. L. V. sec. loc. L. V. VIII. X.

**) Bibl. botan. 1, p. 125.

IV. Caius Calpurnius Asclepiades.

Is, Romae artem, Imperatoribus Traiano, Hadriano, et Antonino faciens, Prusae ad Olympum natus dicitur in vetere monumento lapideo[1], quod adhuc *Reinesii* et *Sponii* tempore in civitatis Arignan templo Abundi et Abundantii fuit, et forsitan adhuc ibi erit, et quod post Reinesium *) describit *Sponius* **). Inscriptio haec est:

C. Calpurnius Asclepiades, Prusa ad Olympum, medicus, parentibus et sibi et fratribus Civitates VII a divo Trajano impetravit, natus III Nonas Martias, Domitiano XIII Cons., eodem die, quo et eius uxor Veronica Chelidon, cum qua vixit annos LI, et morum causa probatus a Clariss. Viris, adsedit magistratibus Pop. R., ita ut in aliis, et in Prov. Asia Custodiar . . . . in urna Judicum. Vixit ann. LXX.

Ex hoc monumento apparet non solum aetas, qua vixerit adeo honoratus ille medicus, etsi alias nullis scriptis clarus, sed insignis quoque dignitas atque existimatio, qua apud Imperatorem populumque romanum conspicuus fuit. *Sponius* cum *Reinesio* opinatur, *Calpurnium* hunc, quippe eadem, ac Asclepiades Bithynus, urbe oriundum, huius nepotem esse potuisse; et *Walchius* quoque iis adsentitur. At erravisse hos viros, iam *Clericus* aeque ac *Cocchius*, nec non censor libr. Walchiani in Biblioth. philolog. demonstrarunt. Nam inter Asclepiadis Bithyni s. Ciensis atque C. Calpurnii Asclepiadis aetatem ad minimum 150 — 170 annorum interiacet spatium, multo itaque longius, quam quod tribus generationibus expleri solet; neque hinc est, quod cum *Sponio* coniectare possis, Calpurnium A. heredem scientiae et reputationis avi fuisse.

---

*) Synt. inscript. Cl. XI. p. 608, et Epist. ad Rupert. 41 et 44. Repetierunt illam inscription. *Almeloveen*, *Vincke*, et *Lampe*.

**) Recherch. cur. d'Antiquité diss. 27., cfr. *le Clerc.* l. m. p. 419.

V. Lucius Arruntius Sempronianus Asclepiades.

Ita habet inscriptio Romae in via Nomentana inventa, et apud *Reinesium*, nec non serius in Giorn. di Letterat. di Roma T. XI. repetita. In hac inscriptione Arruntius Sempron. Asclepiades dicitur *Domitiani Imp.* medicus. *Reinesius*, uti etiam *Hallerus*, ipsum diversum habent a Pharmacione, quocum male confundit *Sponius*. Praeter illam inscriptionem nihil de hoc A. notum est.

VI. Asclepiades Philophysicus.

Philosophicus quoque passim audiens. Hunc *Galenus* aliquoties citat *), tamquam auctorem variorum medicamentorum compositorum. Contra *Rhodium* (in annotatt. ad Scribonium L.), qui hunc A. Philophys. nullum alium quam ipsum A. Bithynum fuisse opinatus est, *le Clerc* iure optimo monet, hoc ideo haud probabile esse, quod *Galenus*, quoties de A. Bithyno locutus sit, aut Bithyni, aut senioris epithetum, aut nullum prorsus, apposuerit. Caeterum nihil aliud de hoc medico, quem naturae scrutatorem fuisse ob cognomen putares, constat. An idem is, ac *A. Philosophus*, infra (p. 30) dicendus? Dubitare licet.

VII. Gallus Marcus Asclepiades.

Huius viri prorsus ignoti compositiones aliquot medicamentariae occurrunt apud *Galenum*.

VIII. Titus Aelius Asclepiades.

Reliquis, praeter Bithynum, senior, Augusti Imp. libertus, *medicus ludi matutini chirurgus*, Romae degens. Haec comperimus ex inscriptione apud *Gruterum*, l. m. CCCXXXV, 1. prostante. Memorabilis saltem ea ratione est hoc monumentum medici reliquum ignoti, quod ex eo pariter, ac ex *Eutychi* et *C. Asturnii* monumentis (*Gruter.* CCCXXXV,

---

*) De comp. med. sec. gen. L. VI. VII.

3. et LXV, 3) appareat, Romae institutos fuisse graeco more peculiares medicos ludorum, in amphitheatris et arenis hominibus sauciatis etc. opem ferentes. *Clericus* hunc A. quoque habet.

IX. Publius Numitorius Asclepiades.

Publii Libertus, Sevir Veronae, Medicus ocularius. Ita scriptum in marmore, ex Augusti tempore, ut videtur, a *J. Grutero* (l. p. CCCXXXV) et Scipione Maffeo illustrato. Digna omnino haec inscriptio, cui animo attendamus, quum monstret, illum Asclep. Numitorium, quamvis libertus fuerit, tamen magistratu ornatum fuisse, idque probabiliter ob insignia de civitate Veronensi merita.

X. Asclepiades Apollonii filius.

Talem medicum exstitisse, tempore quidem incerto, sed antiquiore, eoque putem, non multum ab Erasistrati aetate remoto, eumque Smyrnensem fuisse, et forsan Smyrnae medicinam fecisse, probat Inscriptio in lapide quadrato superius acuminato, vetus, pulchra, figuris bene sculptis ornata, quam *Reinesius* (Inscriptt. XI, 5. p. 510) servavit, et quam ex hoc *Fabricius* quoque descripsit. In limbo eius superiore legitur:

Ἀσκληπιαδην Ἀπολλονιου του Ἀρτεμιδορου — —

Ad dextram lapis sculptam tenet statuam togatam, ad sinistram cippum quadratum, cui caput senis longa barba conspicui impositum, subterque adstans puer. In medio illorum nominum sertum est sive corona civica, cui insculptum: ὁ Δημος. Ubi *Apollonium*, quem dicit haec inscriptio, *του Αρτεμιδορου filium* intelligas, hunc vero Apollonium, sive patrem (quod crediderim) sive praeceptorem huius Asclepiadis fuisse existimes, aetas huius ipsius facile erit definienda. Nam *Artemidorum Sidensem* Erasistrati sectatorem fuisse, e *Caelio Aureliano* *) cognovi-

*) Morb. acut. l. II. c. 31. l. III. c. 14. 15. Eundemque forte illum Artemidorum esse, cuius medicamenta varia a *Galeno* (Comp. med. sec. loc. II. III.) describuntur, *Hallerus* l. m. suspicatur. — Alius fuit *Artemidorus Capito*, longe serioris aeta-

mus. Neque dubitem, Apollonium illum unum eundemque fuisse, qui Apollonii *Memphitis* s. etiam *Stratonici* nomine inclaruit. Caeterum patet ex memorabili illo monumento, Asclepiadem illum (quem ita *Asclepiadeum* potius, i. e. stirpi Asclepiadarum adscriptum fuisse existimem) de civitate Smyrnensi praeclare promeruisse, et ad senium provectius pervenisse.

XI Asclepiades Titiensis, s. Citiensis.

Memoratur hic, quem popularem celebris illius Apollonii Citiensis habere licet, solummodo a *Caelio Aureliano* (acutor. III, cap. 5.), ubi Titiensis in edit. Almeloven. aliisque scribitur, cuius autem loco le Clerc, idque rectius, ut opinor, *Citiensis*, sive Citieus, legere mavult. An empiricus is fuerit, an dogmaticus, non liquet. Tantum legimus l. m., hunc Asclepiadem apoplexiam et paralysin morbos unius naturae habuisse, sive illam tamquam paralysin declarasse.

XII. Lucius Scribonius Asclepiades.

Huius medici *le Clerc* mentionem facit ex vetere inscriptione, quam *Gruterus* habet: *Scriboniae Jucundae, L. Scribonius Asclepiades uxori statuit.* Hunc ipsum Rhodius pro Scribonio Largo habere mavult, in quo tamen errare mihi videtur. Sed an cognomen Asclepiadis illi fuerit? aut annon sectae potius vel familiae Asclepiadarum, vel saltem coetus medicorum templo Aescul. Romano addictorum? Posterius mihi sic videtur. Silent vero omnes auctores de hoc viro.

XIII. Fonteius Fortis Asclepiades.

Hunc quoque medicum Asclepiadem, incertae aetatis, quem *Ephesii* epitheto in medium profert *Reinesius* (l. m.), et ex eo *Fabricius* (l. c.), novimus tantummodo ex inscriptione monumenti sepulcralis, a

---

tis, tempore Hadriani Romae vivens, Galeni patri coaevus. Is Hippocratis operum novam recensionem et editionem suscepit, sed multum mutatam et multis locis temerarie vitiatam et interpolatam, qua de re a *Galeno* acerbe vituperatur.

Fulvio Ursino servata (vid. *Gruteri* thesaur. l. m.), et ex eo a *Fabricio* (l. m.) reddita. Posuerat hoc cenotaphium marito dilecto, medico optimo, unaque etiam filio *Bero*, vidua *Egnatia Briseis*, atque meretur inscriptio haec, tetrastichon amoris luctusque interpretem in fronte habens, quam hic cum lectoribus communicem:

Θ. Κ.

Ἐντε φιλοισιν φιλοιο και ἰητηρος ἀριστου
Παιδειης δ' ἱερης ἐγγυϑεν ἁψαμενου
Σῶμ' Ἀσκληπιαδου και ὑεος ἐνϑαδε Βηρου,
Ὡς ἐπεισα φιλοις, ἑις ὁδε τυμβος ἐχει.

Ἀ. Φοντειο Φορτι Ασκληπιαδῃ, τῳ γενει Ἐφεσιῳ, βιωσαντι ἐτεσιν μ', μησιν β', ἡμερ. κε, ὡρ. ζ, Ἐγνατια Βρισηις, συμβιος, μνημης χαριν.

Videmus quidem, in ipso Tetrasticho simpliciter dici hunc medicum ἀριστον Asclepiada, sed in subscriptione expressius addi: Fonteio Forti Asclepiadi. Sed legere malim, commatis alio ordine dispositis, Α. Φ. Φορτι, Ἀσκληπιαδῃ τῳ γενει, Ἐφεσιω, *genere Asclepiadeo*, *Ephesio*, unde appareret, ipsum haud Asclepiadis nomen proprium gessisse, sed ex medicis-sacerdotibus *Asclepiadeis* (ad templum Aescul. *Ephesium*) fuisse, iisque, uti putem, novissimis s. ultimis, siquidem vix Asclepiade Bithyno antiquiorem hunc Fonteium Fortem crediderim.

XIV. M. Artorius Asclepiades.

Talem *Hallerus* *) profert *Caes. Augusti medicum*, ex inscriptione cenotaphii Smyrnensis (nisi, ut suspicor, haec citatio sub contextu erronea aut librarii vitio enata sit). At error hic subesse videtur, atque confusio huius Asclepiadis cum *Artorio*, Augusti Imp. medico atque amico satis claro, quem laudant *Suetonius*, *Plutarchus*, *Dio Cassius*, *Valerius Maximus*, aliique, et quem referunt servasse vitam Augu-

*) Bibl. med. pract. T. I. p. 185.

sto ipsa illa proelii in campis Philippinis commissi die *). Hunc vero Artorium ex Asclepiadis sectatoribus fuisse (nec tamen, putem, ex eius discipulis, quippe quum Augusti tempus Asclepiades, fere saeculo senior, haud amplius adspexit), *Caelius Aurel.* refert **), quaedam ex huius Archiatri clinicis praeceptis adnotans. Igitur rectius faciemus, quum hunc, Asclepiadeum tantum, pariter ac aliquot priores (X. XII et XIII) ex medicorum *Asclepiadis* nomine proprio dictorum serie relegemus.

* * *

Citantur praeterea a variis auctoribus veteribus *alii quidam Asclepiades, non medici*, sed aut philosophi, aut historici. Ut tales tum a *Grutero* et *Vossio*, in Histor. Gr., tum a *Garofalo*, (l. m.) et a *Clerico* (l. m.) sequentes memorantur:

Asclepiades Myrleanus, s. ex civitate Myrlea Bithynensi, ubi tempore Ptolomaei Philopatoris (secundum *Strabonem*, lib. III.), vixit, aut secundum *Suidam* et *Stephanum Byzantinum* et *Apollonii Scholiastem* tempore Pompeii Romae grammaticen docuit. Idem proinde etiam *Asclepiades Grammaticus* dictus est, male vero confusus cum A. Bithyno, ob patriae et aevi communionem, a *Vossio*, et a *Merklino* (in Lindenio renov.).

Asclepiades Philosophus, discipulus *Stilponis*, ex oppido Peloponnesi *Phliae* oriundus, et ad *Heliacos* philosophos a *Diogene Laertio* relatus.

Asclepiades Tragilensis (Thracius), qui tragoedias scripsisse ab *Athenaeo* et *Pindari Scholiaste* dicitur (*Garofalo* l. c.)

---

*) *Artemidorus* ex somnio commonitus Augustum rogaverat, ut, quamvis aegrotus, in proelii campum e castris portari sese sineret, quo facto evasit imperator periculo, captum iri a *Bruto*, qui durante pugna castra Augusti armorum vi occupaverat.

**) Acutor. II, 29. III, 11. Diuturnor. IV, 28.

Asclepiades Ἀρχιερευς (pontifex supremus) Τρυφων. Ita habet inscriptio nummi Ephesii, in honorem Augusti excusi (*Gruterus*).

Asclepiades Anazarbensis, quem *Stephanus Byzantinus* librum de plantis exaravisse ait (*Garofalo* l. m.). An is *Arius* iste (p. 25.)?

Asclepiades Egyptiacus, a *Suida* in voce ἡραΐσκος citatus, tamquam inclytus philosophus, Theologiae quoque et Historiae Aegyptiorum peritus.

Asclepiades Alexandrinus et *A. Cyprius*, a *Scholiaste Aristophanis* et a *Porphyrio* citantur.

De omnibus tamen hisce Asclepiadibus vix aliud quid compertum habemus, nisi nomen patriamque, neque operae pretium videtur, curiosius in ipsos, quos partim confusos fuisse putem, inquirere.

Sed haec sufficiant. Etenim transire et vero properare dulcissimo officio propellimur ad diei festissimi et auspicatissimi solemnia proclamanda. Advenit nempe dexterrimis auguriis

D I E S   N A T A L I S

FRIDERICI GUILELMI III.

REGIS BORUSSORUM AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI, UNIVERSITATIS NOSTRAE FRIDERICIAE GUILELMIAE RHENANAE CONDITORIS ET NUTRITORIS MUNIFICENTISSIMI,

quem diem sicut omnibus terrarum Borussicarum incolis celebratissimum, ita nostrae praesertim almae musarum sedi, cui nuperrimo beneficio *Rex Optimus* nomen *Fridericiae Guilelmiae Rhenanae* in summum huius Universitatis decus gaudiumque tribuere decrevit, festissimum piis votis pro salute Regis Evergetae publicaque oratione et concentu musico celebrabimus. Votorum autem nostrorum gratiarumque piarum publicus interpres erit

Vir amplissimus *Aug. Ferdin. Naeke*, Prof. Eloqu. P. O., Collega nobis coniunctissimus.

Recitata ab Ipso oratione festa h. l. q. c., alterum, quod restat, officium ab oratore solemniter perficietur. Nimirum renuntiabit Is ex schedis a Rectore Magnifico apertis nomina eorum Universitatis nostrae Alumnorum, qui in certamine litterario, optime solutis quaestionibus, quae ante hos duos annos propositae fuerant, ex singulorum ordinum iudiciis palmam meruerunt, aut saltem proxime ad merendam accesserunt.

Quae solemnia ut praesentia sua condecorare velint Regiae huius Universitatis curandae Praepositus Perillustris, Academiae Professores et Doctores clarissimi, Proceres et Magistratus urbis honoratissimi, Cives Academici ornatissimi, et quotquot musis nostris favent, omni qua par est observantia rogamus, Eosque invitatos esse volumus.

Accedimus nunc ad indicanda ea eruditionis solidioris temporisque studiorum academicorum bene transacti documenta, quae a doctis Universitatis nostrae alumnis, ad certamen litterarium concurrentibus, quaestionum a singulis Ordinibus ante hos duos annos promulgatis solvendarum causa anno praeterito nobis tradita fuere, atque ad declarandos Eos concertantium, qui anno abhinc inter ipsa Regia natalis festi solemnia aut victores aut ad palmam prope accedentes renunciati sunt.

I. ORDO THEOLOGORUM CATHOLICORUM duas proposuerat quaestiones, unam dogmaticam, alteram exegeticam. Illa huius erat argumenti:

Ex doctrina christiana, cum fidei tum morum, eruatur finis simplex atque excellens, in quem ipsa haec doctrina sui sequaces dirigat; erutusque diluendis rationibus contrariis sustentetur, denique colligatur, totum salutis negotium in eo esse, ut primaeva conditio humana recuperetur.

Duae oblatae sunt Commentationes: *una* inscripta symbolo: *Ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ εν τοῖς οὐρανοῖς τέλειός ἐστι.* *Altera* symbolo: *Nitimur in vetitum, semper cupimusque negata.* Auctor prioris commentationis tam omnibus partibus perfecta Theologiae dogmaticae scientia imbutum se esse scriptione sua demonstravit, ut praemium certe et palmam tulisset, si ex proposita quaestione, non vero ex praeconcepta sua opinione argumentum tractandum eiusque tractandi rationem cognovisset; ac si minus graviter et frequenter offendisset tam contra regulas grammatices quam contra prima styli latini praecepta. Etiam posterioris com-

mentationis auctor plenam quaestionis sententiam adsecutus non est, atque inde accurata et perfecta disputatione argumentum propositum non perlustravit; ita tamen in parte difficiliori versatus est, ut, quod rei summam attinet, quaestioni eum quodammodo satisfecisse negari non possit. Praeterea plura scientiae haud vulgaris specimina, et sermo nativus, liquidus ac fere integer ingenium et doctrinam scriptoris commendant. Quare Ordo, quamquam mancam commentationem vituperandam censuit, praesertim cum incuria et properantia auctoris talem eam evasisse plane cognoverit, tamen *praemium ei* adiudicare non dubitavit, simul vero declarans, *priorem ad eam proxime accessisse*. Praemio ornati nomen est Josephus Vogelsang, Wiedenbrükensis; huic autem accedentis Josephus Baltzer, Antenacensis.

Exegetica quaestio haec erat: Explicetur ex 1 Cor. XII., *quae fuerit S. Pauli Apostoli sententia de donis, quibus gaudebant aetate apostolica Christiani, spiritualibus extraordinariis.*

Tres oblatae sunt huius argumenti dissertationes, his sententiis insignitae: prima: *πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον, ἄνωθεν ἐστι καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων.* Secunda: *Voluisse sat est.* Tertia: *Difficile est proprie communia dicere.*

Prioris auctor ob diligentiam in exponenda S. Pauli sententia positam multam meruit laudem: varia etiam loca, quae ad quaestionem solvendam pertinere videbantur, ex profanis et ecclesiasticis scriptoribus diligenter congessit: sed cum plurima, quae ad rem pertinent, omiserit, praemio dignus censeri non potuit. Reliqui duo concertatores, argumentis ex usu loquendi, contextu et locis parallelis petitis, accurate et copiose probarunt: *dona haec spiritualia e sententia S. Pauli praeter rerum naturam exstitisse.* Is, quem secundo loco posuimus, singula dona industria singulari exposuit, alter continuationis et ordinis seriei que rerum habita ratione omnia inter se apta bene et colligavit, et colligata melius coniunxit. Qui si alterum diligentia et puritate sermonis latini non aequat, ingenii acumine praestat. Virtutibus igitur et vitiis aequa lance pensitatis Ordo utramque commentationem laude celebrandam, praemiumque aequaliter dividendum esse censuit. Nomen illius est Jacobus Bodenheim, Düsseldorfensis, huius Johannes Franciscus Demme, Daunensis.

II. ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM primo, ut locus de *Apocatastasi Omnium* denuo illustraretur, edixerat.

Prodierunt duo concertatores. Uni est symbolum: *οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, ἐδίωξα δὲ ὡς καταληψόμενοι;* alteri »*Intendas animum studiis et rebus honestis.*«

Priori qui symbolo usus est, addictus illustrandae Eschatologiae sacrae et refutando Origeni — quem utinam non repetito *Originem* scripsisset — doctrinam haud vulgarem idoneamque in judicando subtilitatem adhibuit, et tam egregio specimine pro-

bavit, quantum in theologia profecerit, ut, si orationis flumen ab erroribus satius cohibuisset et partem quaestionis dogmaticam curatius explicuisset, omni de parte laudandus foret. — Altera commentatio praeterquam quod ob festinatum literarum ductum lectu difficillima habetur, vitiis laborat plurimis quidem, iisque gravibus, dictione incondita, malo quodam philosophandi pruritu et Origeniana Paulinis aequandi studio, negligentiori denique exegesi: sed non contemnendo specimine docet, quanto nisu scriptor ad meliora et altiora contendat. Decretum est, ut *priori* concertatori *praemium primarium* cedat, alteri *secundarium*. Illi nomen est Jo. Petr. Roloff, Dantiscanus, huic Fr. Henr. Car. Lasinsky, Confluentinus.

Praeterea — quum e superioris anni certamine reliquum esset praemium — idem Ordo voluerat, *ut in originem et propositum libri antiqui, qui titulo Constitutionum Apostolorum circumfertur, inquireretur.*

Hunc etiam agonem duumviri ingressi sunt. Uni symbolum est »ὀυχ ὅτι ἤδη ἔλαβον κ. λ.« alteri *Ει πνεύματι ἄγεσθε, ὀύκ ἐστε ὑπὸ νόμον.*

Prior latinitate sic satis casta, passim eleganti, at tautologiis plena usus est. Diligentiam autem plane eximiam expendendis veterum testimoniis moderandisque recentiorum aut profligandis opinionibus probavit, et ad vindicandam septem priorum librorum unitatem originalem, ad intelligendas interpolationes demonstrandamque octavi libri seriorem accessionem nova quaedam eaque non mala attulit. Alter, stilo inferior, operosa locorum collatione aequalis, methodo inquirendi et judicandi solertia praestantior. Sed ultra modum conjecturis indulsit, dum tot operum ab origine diversorum consarcinationem probatum ivit. Uterque neglexit libri graecitatem, uterque nimis e longinquo Canones Apostolorum spectavit, neque alteruter, quid Clementis nomen hac in causa valeat, recte exposuit. Nihilominus quaestionem perdifficilem, si res summa spectetur, bene tractarunt, immo exornarunt et promoverunt. Censuit Ordo, ut proposito praemio *ex aequo* potiantur. Nomen prioris est Otto Krabbe Hamburgensis; alterius Henr. Aug. Theod. Gieseler Wertherensis.

III. ORDO JURISCONSULTORUM postulaverat:

ut de possessionum et temporum accessionibus disputaretur.

Tres oblatae sunt commentationes, duae vero ex his elapso iam legitimo spatio, ideoque ex decreto superioris anni a certamine excludendae. Tertia cum tessera: *tentasse iuvabit*, tot scripturae mendis et arbitrariis verborum contractionibus laborabat, ut lectionem prorsus non admitteret. Eandem igitur quaestionem *de possessionum ac temporum accessionibus* repetendam, licentia data iis, qui nimis sero commentationes ea de re tradiderant, idem certamen proximo anno ineundi, praetereaque alteram quaestionem »*de effectu secundarum nuptiarum circa bona coniugum ex germanico iure medii aevi*« addendam Ordo censuit.

IV. ORDO MEDICORUM

proposuerat ante tres annos, annisque sequentibus iteraverat quaestionem:

»Experientia comparetur sanguis arteriosus cum venoso, in homine et in animalibus vertebratis, physice, chemice et physiologice.«.

Cui vero solvendae operam dare praeteritis annis nullus se accinxerat.

Praeterito anno tertium repetitae respondit unicus tractatus, cui symbolum ex Homero est:

> *ὄντινα μὲν κεν ἐᾷς . . . .*
> *αἵματος ἆσσον ἴμεν, ὅδε τοι νημερτὲς*
> *ἐνιψει.*

Censuit Ordo, in re ardua non inaniter posuisse operam hujus tractatus auctorem. Laudat eruditionem, quae omnia, quibus res vere explicatur, collegit; laudat physiologiae auxiliarumque disciplinarum studium, argumenti dispositionem, sanum dicendi genus.

Experimentis circa naturam utriusque sanguinis instituendis non defuit auctor; copiam tamen auctiorem et inprimis eorum, quae sanguinis discrimen in vertebratis inferiorum ordinum illustrare potuissent, postulasset absolutior rei tractatio.

Quam ad ulterius prosequendam ut Ordo auctorem incitet, simulque ea, quae praestitit, ornet, *totum* coronae adnexum *pretium* unanimi consensu illi addixit.

Scheda Homericis verbis inscripta nomen habet: Hermann Nasse, Bonnensis.

Super altera quaestione, quam Ordo Med. ante duos annos proposuerat, scilicet:

»de mutatione universi praegnantium corporis ab ipsa impraegnatione oriunda, deque ejusdem vi morborum in ipsa graviditate et profligandorum et provocandorum, nec non demum de eruenda inde morborum aestimatione curaque«

duas accepit commentationes, unam tempore legitimo, die tertio Maii, alteram hoc jam aliquantum praeterlapso.

Utriusque laudat Ordo diligentiam atque studium. *Prima* scriptio symbolo

> *Πάντα δοκιμάζοντες,*
> *τὸ καλὸν κατέχετε,*

notata, multa solerte collegit, factaque illa lucido ordine disposuit. Argumenti autem disquisitio pathologica non satisfecit; in aestimatione et cura morborum, qui gravidarum sunt, desideratur exactius therapiae studium.

Auctorem ad praemium merendum *accessisse* decrevit ordo, eique pro diligentiae testimonio et ad ulterioris studii incitamentum illud ad *dimidium* tribuit.

Qui hunc tractatum, symbolo dicto insignitum scripsit, est Anton Joseph Richter, Confluentinus.

Commentatio altera symbolo parum apto:

»Greift nur hinein in's volle Menschenleben« rc.

inscripta, praestat priori historica argumenti, de quo agit, expositione et cognitione pathologica; neglexit autem mutationes in graviditate ex converso partium situ oriundas; neglexit plurium rerum accuratiorem disquisitionem. Quam ob causam et ob praetermissum ab auctore constitutum tractatus offerendi tempus, illius modo cum laude mentionem facere potest Ordo, scheda, quae nomen auctoris obtegit, non aperta.

V. ORDO PHILOSOPHORUM illiusdem anni praeconio tria obtulerat certamini argumenta. Primum *philosophicum* erat, de Anaxagora; in quo duo iuvenes utilissimum virium et doctrinae suae periculum fecerunt. Laudem non mediocrem, immo palmam victricem et praemium ex unanimi Ordinis iudicio is reportavit, qui libello suo praescripsit hunc versum Tragici: *Τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ θεὸς συλλαμβάνει*, et cuius nomen est: *Guilelmus Schorn*, Bonnensis. Sequitur alter, qui hanc sibi ex Theognide tesseram sumsit: *Καὶ σώφρων ἥμαρτε:* Neque hic suo conatu prorsus excidit, et saltem dignus est iudicatus, qui nonnullo intervallo ad victoris laudes appropinquaret, et quarta praemii parte contentus discederet. Nomen est: *Henricus Kalthöf*, Warendorfensis Guestphalus.

Altera quaestio erat *historica*, de classe et copiis maritimis Atheniensium. Classicum hoc periculum unus subiit, et infelix fecit naufragium. Itaque haec eius opella, quamvis severo, tamen iustissimo iudicio, tota reiecta est.

Postremo erat editum argumentum *Orientalium litterarum*. Certator unus exortus est, sed insignis, ut meruerit, qui praemio integro et indiviso ornaretur. Quare id assignatum est commentario, qui symbolum habet: »Est quadam prodire tenus.« Ecce nomen: *Carolus Theod. Johannsen*, Nortorfensis Holsatus.

NOVAE QUAESTIONES,

quae a singulis Ordinibus *pro anno proxime futuro* 1828—29 certaminis causa proponuntur, et hic proclamantur:

I. ORDINIS THEOLOGORUM CATHOLICORUM:

Expendatur, an et quale meritum habeat fides, quae est argumentum non apparentium, et cuius dignitatis sit ei superstructa morum doctrina, si totam hanc rem consideraveris philosophice. Tunc addatur, quam mirifice cum hoc consentiant sacrae litterae christianorum cum in fidei laudibus tum in adornanda doctrina morali, ita ut plane appareat concentus inter philosophiam et naturam theologiae moralis christianae.

II. ORDINIS THEOLOGORUM EVANGELICORUM:

Agatur *de auctoritate, pretio atque usu librorum V. T. apocryphorum.*

III. ORDINIS JURISCONSULTORUM.

Disseratur de nobilitatis altioris germanicae (des deutschen hohen Adels) *tam antiqua quam hodierna significatione atque indole secundum constitutiones et iura S. Imperii Romani-Germanici, et foederis inter principes urbesque liberas Germaniae hodiernae icti.*

IV. ORDO MEDICORUM

pro anno futuro duas quaestiones concertandi studiosis palmaeque cupidis offert. Prima, eaque nova, haec est:

I. Quum *salium mediorum*, eorumque speciatim, quae *antiphlogistica* dici solent, tanta non solum sit chemica diversitas, tam quod ad partes constituentes, quam quod ad mixtionis et quantitatis constituentium rationes, sed virium quoque et effectuum medicinalium haud exigua differentia, necessarium et prorsus e re artis medicae erit, observationis exactioris ope singulorum salium sic dictorum antiphlogisticorum singulares et inter se differentes effectus in organismum humanum tum generaliores tum medicamentarios in specie, atque proinde administrandorum singulorum salium indicationes specialiores propriasque distinctius eruere. Quare *Ordo Medicus* desiderat:

»*Ut satis copiosa, accurata, et ab omni partium studio libera observatione, in hominibus solis scite et prudenter instituenda, pro tempore eruantur atque probentur effectus, quos exercent:* 1) *Kali nitricum*, 2) *Natrum nitricum*, 3) *Natrum sulphuricum*, 4) *Ammonium muriaticum*, 5) *Tartarus depuratus*, 6) *Tartarus boraxatus, in hominibus variae naturae variaeque aetatis, atque variae conditionis morbosae, maxime in iis morbis, qui dicuntur inflammatorii.*

In hisce observationibus consignandis atque inter se comparandis potissimum *differentiae* effectuum, qua sales dicti tum systema sanguineum (cor et arterias praesertim), tum systema nervosum, nec non lymphaticum generalius, tum primas vias et digestionis negotium, tum vias cutaneas nec non urinarias afficiunt, ratio habenda erit.

Quod ad *reliqua* salia media illius familiae, eorum simile examen therapeuticum alii tempori Ordo medicus servat proponendum.

II. Altero loco Ordo medicus eandem illam *iterum* offert quaestionem, quam anno praeterito iam proposuerat, nemine tum in ea vires periclitante; nimirum:

Disseratur de statu nervoso et putrido eoque non primario, sed morbis inflammatoriis, sub illorum decursu, superveniente. Inquiratur scilicet

1) *qua ratione fiat, ut talis eaque adeo insignis naturae morbi mutatio locum*

inveniat? 2) *quibusnam signis, si contigerit, cognoscatur?* 3) *quae in casu tam ancipiti artis praesidia in usum vocanda?*

V. ORDO PHILOSOPHORUM

duas pro anno proximo sistit quaestiones, alteram *historici*, alteram *philosophici* argumenti:

Prior haec est:

Illustrentur Alexandri Magni expeditiones per orientales imperii Persici provincias, regiones Transoxianas Indiamque susceptae, tum e geographis antiquis, tum e peregrinatorum recentiorum commentariis. Situs locorum ad situm hodiernum referatur.

Posterior ita habetor:

Inquiratur in methodum, quae in theoriis condendis psychologicis observanda sit, deinde exempli causa capita de conscientia, de imaginatione, nec non de voluntate exponantur.

En, Commilitones Optimi, largum honorificumque virium tentandarum campum! En diligentiae comprobandae, et quaestus nobilissimi, palmam victricem dicimus, capessundi vere abundantem copiam! Accingite itaque Vos ad certaminis aciem, et in periclitandis, quae ardua videantur, ne lassari Vos sinite! At memores estote legis, qua dies III. Maii ut terminus ultimus praefixus est, ultra quem commentationes, Umiversitatis Secretario praeclaro certaminis causa tradendae, non amplius ad concursum admitti possunt. Valete.

Dabamus Bonnae d. 22. Julii MDCCCXXVIII.

CORRIGENDA

Pag. 11. lin. 4. del. verba „*l. m. Kurt Sprengel,*" et transponantur in lin. 5. ante C. Fr. Burdach.
Pag. 16. in adnotat. lin. 24. loco minium leg. *nimium.*
Pag. 32. lin. 17. loco promulgatis leg. *promulgatarum.*